

aut prolixi, dummodo ex motivo sibi proprio concipiantur; ergo etiam actus caritatis ex motivo proprio conceptus, vere erit actus virtutis theologicae; et detestatio peccati ex ejusdem motivo profecta, erit vera contritio, quin certa intensio, aut prolixitas ad pias hasce affectiones requiratur.

Conf. 3. Posset homo in fine vitae detestari peccatum ex motivo caritatis perfectae, quin ei supersit tanta mora temporis, quantum Scotus exigit, ut ille actus sit contritio; adeoque peccator in eum posset statum redigi, in quo per verum poenitentiae actum peccati remissionem consequi non posset: consequens autem hoc damnatur ut erroneum a Gennadio Massiliensi, in libro de Ecclesiast. dogmatib. c. 80. (Patrolog. t. 58. p. 998. D.). Idemque refert ex Concilio Moguntino cap. 2. Ivo in suo decreto, part. 15. c. 32.

48. *Obj.* Actus contritionis est dispositio ad gratiam; atqui dispositio debet antecedere formam; ergo contritio aliqua saltem temporis duratione eget.

R. *D. M.* Contritio est dispositio ad gratiam qualiscumque *N.* est dispositio ad gratiam perfecta et ultima *C.* Hujusmodi dispositio non antecedit formam tempore, sed natura.

Nec paulo magis probat alterum Scoti argumentum, quod contritio debeat perfici usque ad certam intensiorem: nam praeterquam quod nulla certa ad actum contritionis requiritur intensio; ut ex hactenus dictis palam fit: intensio ista si requireretur, posset in instanti perfici in actu immanente, ut in qualibet forma, quae sine resistantia contrarii producitur. Ex his quae hucusque disputavimus

49. *Colliges 1º.* Contritione nos magis detestari peccata graviora quam leviora: in peccatis enim gravioribus magis apparet ratio motiva, puta malum Dei; unde majus odium et dolorem ac detestationem in nobis excitant.

2º. Propria item peccata magis detestamur, quam aliena: nam quia cuius homini speciatim injunctum sit, Deum ex toto corde amare, amori huic peccata propria vel maxime adversantur. Quam ob rem magis aversamur peccatum veniale a nobis commissum vel committendum, quam peccatum originale: per peccatum enim veniale homo actu proprio facit, ut Deo nonnihil displiceat, eique mali aliquid inferat; cum e contra originali peccato incurrat tantum et patiatur malum, nec se ipsum a Deo avertat, sed ipse voluntate aliena avertatur a Deo. Hinc etiam magis detestandum peccatum nostrum veniale actuale, quam mortale habituale: per hoc enim toleramus malum a Deo nobis illatum; cum e contra per illud novum Deo malum inferamus.

Nec refert, quod peccata aliena gravia sint majores Dei offensae, quam nostra levia: ordinata enim erga Deum caritas praecipit, ut, antequam de aliis cogitemus, ipsi prius maximum illud praecipuum implere satagamus; praesertim negativum, magis absolutum a tempore, loco, aliisque circumstantiis, ut ne quid adversus Deum committamus. Quapropter licet S. Thomas recte probet, B. Virginem Mariam in utero matris sanctificatam fuisse, quia majus est privilegium, immunem a peccato originali esse, quam a peccato veniali: ob hoc tamen privilegium non oportebat ut eadem B. Virgo minus

detestaretur, voluntate propria vel tantisper averti a Deo per peccatum veniale, quam aliena voluntate per originale peccatum, quod nobis tantum est proprium moraliter: caritas enim non tam commoda propria, quam Dei bonum intendit.

3º. In contritione excedi dupliciter potest, sed tantum per accidens. Ac primo quidem quando quis falso sibi persuadet, peccatum tam grande malum esse, ut ejus remissionem obtinere nequeat. Hunc nimium dolorem avertit Apostolus 2. Cor. 2. v. 7. scribens: *Ne forte abundantiori tristitia absorbeat qui ejusmodi est.* Quanquam actus ex errore illo profectus poenitentia proprie dici non possit.

Altero modo exceditur, si ex nimio voluntatis conatu valetudo graviter laedatur. Ubi Richardo, in 4. d. 17. a. 1. q. 8. dicenti, non teneri poenitentem ad capitis contentiorem remittendam, si noxia praevisa non fuerit, assentiri non possumus. Sufficit enim damnum praevium fuisse: quia praecipuo naturali tenemur ita moderari nostro fervori, ut ne quid gravioris detrimenti salus corporis patiat; maxime quando id ad animae salutem opus non est, ut in casu praesenti accidit. Atque ideo sapienter Chrysostomus hom. 4. in 2. ad Corinth., et ad naturam et ad conditionem peccatorum poenitentiae labores monet esse temperandos.

ARTICULUS III.

AN AD CONTRITIONEM PERFECTAM STATIM REMITTANTUR PECCATA?

Nota I. Lutherus tradidit, neminem per contritionem Deo reconciliari, sive ante sacramenti Poenitentiae susceptionem, sive in ipso sacramento Poenitentiae: nam in assertionem articuli 6. ex sermone de Poenitentia, *ego, inquit, peccatum assero, quidquid ante gratiam fit in homine, tantum abest, ut praeparet ad gratiam.* Ait autem, contritionem esse effectum justificationis, quae prius habita sit per fidem, qua certo sibi persuadet, remissa sibi per Christum esse peccata.

Nota II. Ex Catholicis vero Theologis Baius, Jansenius, Estius, Gaspar Juenin, aliique Novatores appellant caritatem imperfectam, si quis actu remisso Deum propter se ac super omnia diligat, neque putant contritionem ex caritate hac imperfecta conceptam sufficere ad remissionem peccatorum ante susceptum Poenitentiae aut Baptismi sacramentum, nisi in casu necessitatis: sed opus esse contritione perfecta, hoc est, ea quae ex caritate Dei admodum intensa proficiscatur.

30. *Dico.* Qualiscumque contritio, quae propter Deum super omnia dilectum concipitur, continuo justificat poenitentes, etiam ante usum sacramenti. Haec est communis sententia Doctorum Catholicorum, qui contrariam opinionem gravissimis censuris proscribunt.

Prob. S. Scriptura simpliciter promittit gratiam Dei, et justificationem purae caritati Dei, et peccatoribus vere ad Deum ex toto corde conversis, ut constat ex testimoniis art. proxime praecedente adductis: atqui contritio quaevis propter Deum super omnia propter se delictum, est pura Dei caritas

et vera conversio ad Deum ex toto corde, sive intensa sive remissa fuerit; ergo illico ante usum sacramenti justificat.

Conf. 1. In veteri Testamento contritioni ex pura Dei caritate profecta veniam et gratiam continuo concedendam Deus pollicitus est, atque etiam impendit; ut Scriptura et Patres nuper recitati docent: quibus accedit S. FULGENTIUS, qui L. 1. de Remissione peccat. c. 42. (Patrol. t. 63. 369. B.) Quia, inquit, *ingemuit David, ex toto corde conversus, continuo salvus est factus, atque ita in eo completum est quod per prophetam præcipitur: si conversus fueris et ingemueris, salvus eris.* Cur ergo non idem accidat in lege Evangelica, ubi largior Dei gratia ex fontibus Salvatoris manat? Id quod exemplum latronis pœnitentis declarat, qui eodem temporis momento veniam peccatorum a Christo impetravit, quo ad eum se convertit Luc. 23. v. 44.

Conf. 2. Ex damnatione propositionum Baianarum supra memorata. Ubi adversarii gratis causantur, tres primas proscribi intellectas de caritate habituali: quartam autem, quia videtur significare, nullam contritionem extra casum sacramenti aut necessitatis justificare; nam propositiones illæ damnantur in sensu a Baio intento, hoc est, in ejus scriptis expresso, in quibus manifeste agit de caritate actuali; et propositione 31. ait: *Caritas, quæ ex corde puro est; habitus autem non est ex corde, sed in corde.*

His accedit judicium S. Facultatis Parisiensis, quæ ab Episcopis Belgii commotis hac doctrinæ novitate consulta, an. 1560. 7. Junii plures propositiones censura confixit, inter quas hæc erat decima. *Homo existens in peccato mortali, potest habere veram caritatem; et caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis. Hæc propositio, ait censura, est hæretica.* Undecima vero hujus tenoris: *Per contritionem, non adhibito realiter sacramento Baptismi aut Pœnitentiæ, non dimittitur peccatum extra casum martyrii aut necessitatis, hac censura notatur: Quæ propositio est hæretica et schismatica.*

31. Obj. I. Si contritio ante susceptionem sacramenti statim justificet; ergo gratis ait Christus, Joan. 20. v. 23. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis;* ergo frustra Patres dicunt, quod sententia Petri præcedat sententiam cœli; ergo injuste damnarunt PIUS V. et GREGORIUS XIII. dicentes, non justificari pœnitentem ministerio sacerdotum: et AUGUSTINUS epist. 180. (al. 228.) ad Honorat. falso docet, ministerium sacerdotum esse ad salutem necessarium: perire eos, qui de hoc seculo exeunt vel non regenerati, vel ligati: et dum tract. 13. in Joan. n. 7. ait: *quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat, non illi dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum.* Id quod etiam habet AMBROSIIUS L. de iis qui intiantur, c. 4. n. 19. (al. de mysteriis. p. 330. B.).

R. 1º. Sequelas istas omnes etiam recidere in sententiam adversariorum, qui putant, caritate valde intensa remitti peccata extra sacramentorum usum, aut casum martyrii; vel necessitatis.

R. 2º. *N. has seqq.* Vere a sacerdotibus absolvuntur, aut baptismi sacramento expiantur, qui tantum attriti ad sacramenta ista accedunt. Quare necessarium est sacerdotum ministerium, et qui decedunt non regenerati, aut etiamnum ligati pereunt, ob culpabilem horum mysteriorum negle-

ctum. Quare etiam Petri sententia præit sententiam cœli: ideo enim Deus absolvit, quia minister absolvit, et non vicissim.

R. 3º. *D. easd. seqq.* Si contritio ante sacramentum justificet absolute ac citra votum et onus suscipiendi sacramenta, sequuntur hæc absurda *Transeat*, ob modo dicta. Si justificet conditionate, cum voluntate suscipiendi hæc sacramenta, etc. *N.* Nimirum contritus justificatur quatenus adjunctum habet votum, saltem implicitum, sacramenti. Quod si deinde data occasione, votum istud explere culpabiliter neglexerit, ob novam culpam peribit, etsi regeneratus. Dixi *culpabiliter*; nam sacerdos non habet facultatem negandi pro sua libidine solutionem aut regenerationem postulantibus. Quod si contrito id officii negaret, non ideo ille peribit; sed sua caritate et pœnitentia regenerabitur, aut solvetur.

Inst. Falsum fuisset Christi effatum cum tempore præsentem prolatum, cum Luc. 7. v. 47. ait: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum,* si ipsa dilectio jam antea mulieris peccata absterserat.

R. *N. Illat.* Alias postea eidem mulieri v. 48. falso dixisset: *Remittuntur tibi peccata.* Habuit ergo se illa Christi enuntiatio sicut declaratio illa Marc. 5. v. 34. mulieris jam prius sanatae facta: *Esto sana a plaga tua.* Vere enim exprimuntur tempore præsentem, quæ paulo ante gerebantur, eo quod moraliter adhuc præsentem censeantur. Sed et Christus publica illa testificatione quasi ratam voluit esse sententiam priorem, afflictamque mulierem solari, et docere præsentem perfectæ pœnitentiæ pretium. Qua ratione explicantur, quæ de eadem muliere scripserunt B. Augustinus et Patres alii: *Accessit immunda, scilicet ante dilectionem, ut rediret munda, post pœnitentiam et dilectionem.* Ubi caritas remissionem peccatorum non præit tempore, sed natura, sicut quælibet ultima dispositio, quæ cum forma simul tempore existit.

32. Obj. II. Saulus per pœnitentiam jam perfecte erat conversus ad Deum, et impositione manuum Ananiæ acceperat Spiritum sanctum Act. 9. v. 5. 6. 9. 11. 17. ei tamen Ananias ait: *Exsurge, et baptizare, et ablue peccata tua.* Act. 22. v. 16. Cornelius item et ejus amici, licet Spiritus sanctus super eos ceciderit, jussi sunt a B. Petro baptizari; ergo hisce non remittebantur peccata, nisi per sacramentum baptismi.

R. *N. Cons.* Ananias Paulum ad baptismum hortabatur, tum quod internam ejus dispositionem ignoraret; tum quod sciret, ipsum non fuisse justificatum, nisi cum obligatione suscipiendi baptismum. Caritas enim, qua contritio perficitur, mandatorum divinarum observationem urget, adeoque votum sacramentorum præceptorum comprehendit, ut ex Sess. 14. cap. 4. Concilii Tridentini novimus. Neque sacramentum baptismi Saulo et Cornelio erat supervacaneum: nam et gratiam prius acceptam adauxit, et tanquam symbolum externum ambos Ecclesiæ Christi et fidelium cæterorum cœtui inseruit. Quam ob causam B. Augustinus L. 4. de Baptismo contra Donat. c. 21. n. 28. *Ne secuta, inquit, esset justitia catechumeni, dictum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum caelorum. Rursus ne percepto baptismo secuta esset iniquitas baptizatorum, dictum est: Nisi abundaverit justitia vestra, etc.*

Inst. 1. Idem S. Augustinus L. 1. de diversis qq. ad Simplicianum q. 2.

n. 2. scribit, in Cornelio veram fuisse caritatem, nec tamen illum justificatum fuisse antequam baptismum susceperat. Quod etiam ibidem de catechumenis asserit, ubi et tract. 4. et 13. in Joan. et L. 4. de Bapt. contra Donat. c. 21. ergo.

R. N. Ant. S. Doctor ait illos sine baptismo non assecuturos salutem, non quod per pœnitentiam peccata non fuerint ipsis remissa, sed quod baptismum divinitus præceptum neglexerint: Siquidem *non solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam*, inquit ead. q. 2. De Cornelio quidem L. 4. de baptismo contra Donat. c. 21. n. 28. *Si*, inquit, *Cornelius etiam Spiritu sancto jam accepto, baptizari nolisset, contempti tanti sacramenti reus fieret*. Et c. 23. n. 32. de catechumenis universim: *Neque enim*, inquit, *ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur*. Cæterum perquam probabile est, veterum quosdam, inter quos S. Gregorius Nazianzenus orat. 40. in S. Bapt., Gennadius L. de dogmat. Eccl., S. Fulgentius epist. 12. ad Ferrandum diaconum, tam austeros baptismi propugnatores fuisse, ut ejus vices ne in necessitate quidem per pœnitentiam caritate perfectam suppleri posse contenderent.

Inst. 2. Concilium Tridentinum Sess. 13. c. 7. prohibet peccatores absque sacramento Pœnitentiæ ad Eucharistiam accedere, quantumvis sibi contriti videantur. Et Sess. 6. c. 6. inter dispositiones eorum, qui ad Baptismum, et consequenter etiam ad Pœnitentiæ sacramentum accedunt, exigat, ut Deum *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant*. Ergo ex mente Concilii contritio non videtur ante horum sacramentorum usum justificare.

R. N. Cons. 1°. Ad sacram synaxin accessuris, aut etiam sacerdotibus sacrificaturis, si peccati conscii fuerint, præcipit Concilium, ut se sacra confessione ante probent, ob sacramenti Eucharistiæ reverentiam; cum nemo de sua contritione certus sit, et facilior ad justificationem via sit per Pœnitentiæ sacramentum. 2°. Inter dispositiones ad Baptismi gratiam, Sess. 6., recenset tantum caritatem inchoatam, ut verba Concilii indicant: nam Sess. 14. c. 4. eadem Synodus docet, *contritionem caritate perfectam hominem Deo reconciliare, priusquam sacramentum recipiatur*.

Inst. 3. Dum intellectus scientia perfectus dicitur, non intelligitur scientia qualiscumque, sed excellens; ergo Concilium Tridentinum commendans contritionem caritate perfectam, valde intensam prædicat.

R. N. Cons. Concilium ideo contritionem dicit perfectam caritate, quia caritatis puræ motivum perfectius est motivis omnibus virtutum reliquarum, ex quibus attritio concipitur, ut ex eodem cap. 4. Sess. 14. legere est.

Quæstio alia adhuc moveri solet. *Utrum per pœnitentiam peccatum unum sine alio remitti possit?* Repugnare hoc docet S. Thomas q. 86. a. 3. tam ex parte actus pœnitentiæ, quam ex parte gratiæ. Et contritionis quidem actus, cum ex universali suo motivo peccata omnia detestetur, necessario expellet omnia, si vel ab unico abhorruerit. Ex parte vero altera constat, nullum peccatum remitti sine regeneratione et renovatione per gratiam, ac sine nova admissione pœnitentis ad jus hæreditatis et gloriæ æternæ capiendæ: at gratia, qua renovamur, et in filios atque hæredes regeneramur, ex æquo peccatis omnibus adversatur; igitur omnia simul eliminat, secundum illud Apostoli Rom. 8. v. 1. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*.

ARTICULUS IV.

QUOMODO CONTRITIO PECCATUM EXPELLAT?

53. Nota I. Forma vetus expelli formaliter dicitur a forma nova, eo quod hæc cum illa componi in eodem subjecto nequeat: causa autem formam novam producat, aut in subjectum inducat, dicitur efficienter expellere formam veterem. Ita calor superveniens subjecto frigido, frigus expellit formaliter; ignis vero efficiens causa caloris, idem frigus efficienter expellere dicitur.

Nota II. Gabriel Vasquez et nonnulli alii tradunt, contritionem, licet sola non sit sufficiens seu tota formalis causa remissionis peccati, esse tamen partialem, quia ex illa et habituali gratia consurgit integra et proportionata forma excludens peccatum: Opinionem istam laudant Sotus uterque, et Suaresio probabilis videtur: nihilominus ipse cum pluribus aliis contritionem vult esse dispositionem ad remissionem peccati, atque insuper ad genus causæ efficientis illam reducit, eo quod impetret gratiam impossibilem cum peccato.

Nota III. E diverso Lutherus in assertione art. 12. ait, fidem justificare, etiamsi per impossibile homo non esset contritus. *Volo*, inquit, *eam, sed dico, non operari justificationem aut remissionem peccatorum: fides enim in verbum Dei justificat et purgat*. Eodem modo Calvinus L. 3. Inst. c. 4. §. 3. ait, remissionem peccatorum non fieri sine pœnitentia, sed hanc illius non esse causam. Huic errori consentiens Kemnitiuss 2. part. Examinis p. 960. ait: *Catholici impetrationem veniæ et reconciliationem cum Deo manifeste tribuunt actu seu operi contritionis nostræ: et quidem ante absolutionem... Quid vero aliud est hoc, quam reconciliationem cum Deo et remissionem peccatorum adimere Evangelio et fidei, imo gratuite misericordiæ Dei et merito Christi: et transferre illam in merita nostrorum operum?*

54. Dico I. Peccatum lethale non expellitur formaliter per contritionem.

Prob. I. Quod tantum disponit et præparat ad justificationem, eamque impetrat, non potest esse forma justificans: dispositiones enim ad formam nequeunt esse ipsa forma, et impetrare est officium causæ moraliter efficientis. Atqui contritio ad justificationem tantum disponit et præparat, eamque impetrat; ergo non est ejus forma ne partialis quidem. *Min.* liquet ex Concilio Tridentino Sess. 6.; postquam enim cap. 6. inter actus varios ad justificationem disponentes recensisset etiam dilectionem Dei, cap. 7. ita prosequitur: *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur*. Et Sess. 14. cap. 4. *Fuit*, inquit, *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum contritionis motus necessarius, et in homine post baptismum lapsio ita demum præparat ad remissionem peccatorum*, etc.

Deinde ex S. Scriptura novimus, justificationem et remissionem peccatorum promitti pœnitentiæ ex toto corde actæ; ergo pœnitentia ista est id, quo impetratur justificatio, et consequenter hac prior, et ab hac distincta.

Præterea contritio a S. Scriptura et Patribus dicitur actus hominis ad



Deum se convertentis; justificatio vero actus Dei convertentis se ad hominem: atqui hi duo actus diversi sunt.

Prob. II. A Concilio TRIDENT. eadem Sess. 6. cap. 7. unica formalis causa justificationis dicitur esse gratia et caritas, quæ diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret ut forma permanens; ergo justificationis causa partialis nequit esse contritio, quæ nec diffunditur in corde, neque inhæret, est enim actus transiens.

Porro ibidem dicimur justitiam recipere in nobis secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem: atqui pro majore vel minore contritione, major etiam minorve obvenit nobis remissio et justificatio, ut Christus Luc. 7. v. 47. docet; ergo contritio est mera dispositio ad peccatorum remissionem et ad justificationem.

Conf. Cum in sacramentis ex opere operato justificantur parvuli, et adulti contritione imperfecta tantum dispositi, justificatio istorum est formalis effectus solius gratiæ sanctificantis; ergo idem habitus gratiæ solus erit forma justitiæ ex opere operato acceptæ. Quapropter etiam S. Thomas q. 86. et 1. 2. q. 113. et in 4. d. 17. ubi ex professo de hoc disputat, nunquam tribuit pœnitentiæ hanc causalitatem. Et q. 28. de Veritate, a. 8. excludit omnem aliam, præter dispositivam.

55. *Dico II.* Contritio non tantum est dispositio, sed etiam se habet ut causa moraliter efficiens remissionem peccatorum.

Prob. I. S. Scriptura pœnitenti et ejus pœnitentiæ peccatorum remissionem et justificationem adscribit tanquam effectum. Ezech. 18. v. 27. *Cum averterit se impius ab impietate sua... ipse animam suam vivificabit.* Et paulo inferius: *Convertimini et agite pœnitentiam... projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, et facite vobis cor novum.* Quæ quidem omnia actionem peccatoris indicant, qui, a Dei gratia excitatus et adjutus, se avertit, se convertit, agit pœnitentiam, facit sibi cor novum, animam suam ipse vivificat.

Jonæ 3. v. 10. *Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: et misertus est,* etc. Ubi conversioni Ninivitarum tanquam causæ tribuitur venia. De quibus S. AUGUSTINUS in Ps. 50. *Pœnitentiam,* inquit, *egerunt, et certam misericordiam meruerunt.* Et S. GREGORIUS L. 3. c. 4. in L. 1. Regum: *Pœnitentia omnipotentis Dei misericordiam facile meruerunt.*

Ps. 50. v. 19. dicitur *sacrificium Deo spiritus contribulatus: sacrificio autem placatur Deus, et gratia impetratur, et ideo mox subjungitur: Cor contritum et humiliatum Deus non despicias.*

Dan. 4. v. 24. *Peccata tua elemosynis redime.* Tob. 12. v. 9. *Elemosyna a morte liberat, purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam.* Ex persona autem Nabuchodonosoris, cui Daniel consilium illud dederat, et ex verbis Angeli intelligimus, hos effectus tribui elemosynis peccatorum, in quantum sunt actus vere pœnitentium et contritorum. Quam rationem etiam reddit Christus Luc. 7. v. 47. insignem mulieri peccatorum veniam fieri prædicans, quia dilexit multum.

Prob. II. Explicantur ista testimoniis Patrum. TERTULLIANUS L. 4. contra Marcionem (opp. p. 420. D. edit. Paris. 1675.) scribit, *Achab, reum idolo-*

latriæ et sanguinis, veniam meruisse, pœnitentiæ nomine. Et L. de pœnitent. (p. 127. A.) *Pœnitentia,* inquit, *Dominus mitigatur.* ORIGENES homil. 11. in cap. 20. Levit. (opp. t. 2. p. 248. D.) *Purgatio,* inquit, *peccati non per corporale supplicium constat, sed per pœnitentiam: quam utrum quis digne gerat, ut mereri pro ea veniam possit, videto.* A S. CYPRIANO L. de lapsis (ad finem), pœnitentia dicitur medicina peccati, per quam Deus placatur: *nec jam solum Dei veniam merebitur, sed coronam.* Et de S. Petró S. BASILIUS serm. de pœnit. (opp. t. 2. p. 607. A.) *Flexerunt,* inquit, *lacrymæ eum, qui nostri misertus est.* S. AMBROSIIUS L. 10. in Lucam, in illud Luc. 22. v. 61. (opp. t. 1. p. 1523. A.) *Dominus respexit Petrum,* etc. *Lacrymæ,* inquit, *veniam non postulant, et merentur.* Et L. 2. de Pœnit. c. 3. (opp. t. 2. p. 420. A.) *Tam cito,* inquit, *veniam meretur,* scilicet filius prodigus. Et præfat. in Ps. 37. (opp. t. 1. p. 815. B.) de Davide ait: *Solvens pretium lacrymarum pro redemptione peccati.* S. HIERONYMUS L. 2. contra Pelagian. n. 11. *Qui peccata simpliciter confitentur, merentur humilitate clementiæ Salvatoris.* S. JOAN. CHRYSOSTOMUS L. 2. de Compunctione cordis (opp. t. 1. p. 141. A. B.), cordis compunctionem vocat ignem, qui humanam omnem infirmitatem solet absumere. S. AUGUSTINUS epist. 54. ad Macedonium (al. 153. c. 3. n. 6.) *Ut pœnitentia placare possint, quem peccando contempserant.* Igitur, cum abluere, purgare, Deum placare, mereri, pretium exhibere, efficientiam quamdam significant, contritio, ex Patrum doctrina, est quædam causa efficiens remissionem peccatorum.

Prob. III. Concilium TRIDENTINUM Sess. 6. cap. 6. actum pœnitentiæ inter dispositiones ad justificationem numerat: dispositio autem in tali casu non solum tenet se ex parte materiæ, sed etiam ex parte agentis seu pœnitentis; ergo idem pœnitens gratia Dei adjutus active concurrat ad justificationem.

Deinde idem CONC. TRIDENTINUM Sess. 14. c. 4. docet, contritionem omni tempore necessariam fuisse ad veniam impetrandam: quam doctrinam hausit ex S. Scriptura, ubi spiritus contribulatus sacrificio comparatur, peccata dicuntur redimi, purgari, extingui per pœnitentiam. Atqui hæc omnia vim quamdam causæ efficientis significant. Quapropter B. THOMAS q. 85. a. 2. ad 3. *Pœnitentia,* inquit, *expellit omne peccatum effective: in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex divina gratia homine cooperante.* Et cum Magistro in 2. d. 27. q. 4. ad 4. docet, per contritionem nos peccatorum remissionem et justificationem de congruo mereri: quod idem dist. 28. S. Bonaventura, Scotus, Durandus, Gabriel, et in 1. d. 41. a. 2. ad 5. Albertus M. et ex recentioribus Suarez disp. 8. sect. 3. n. 14. et quam plurimi alii tuentur; obnitente Capreolo in 2. d. 40. q. un. et Dom. Soto L. 2. de nat. et grat. c. 4. qui pœnitentiam, uti et actum fidei et dilectionis, volunt tantum esse dispositiones ad peccati remissionem et ad justitiam.

56. *Obj. I. cont. 1^{am}. concl.* Juxta Synodum Tridentinam Sess. 6. cap. 7. justificatio est *sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum;* in illo autem verbo, *voluntariam,* actus contritionis includi videtur; ergo hic saltem ex parte est forma sanctificationis et renovationis.

R. *Explic. Conc. Trid.* Justificatio est sanctificatio per voluntariam

susceptionem gratiæ, ita ut voluntaria hæc susceptio indicet causalitatem formalem in actu *N.* ut significet dispositionem requisitam in adultis, quod nimirum suæ justificationi consentiant *C.* Doctrina ista Patrum cohæret cum iis, quæ cap. 5. dixerant: adultos ad sui conversionem divinitus excitatos et adjutos, ad suam ipsorum justificationem eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponi; ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, etc. Et cap. 6. idem Concilium ait, disponi eos ad justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, libere moventur in Deum, credentes, timentes, sperantes, diligentes, poenitentes, etc.; quæ infra can. 4. repetuntur. Agit scilicet Concilium contra errorem Lutheri, qui in digressionem libri, Operationes in Psalmos inscripti, error, inquit, est, quod liberum arbitrium habeat aliquam activitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur. Tum addit: Velle illud, quod credere, sperare, diligere diximus... semper est passio. Ut in luto, quando forma ei affingitur, mera passio est. Adducit autem testimonium Jerem. 18. v. 6. Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea. Calvinus item L. 2. Instit. c. 3. §. 7. et 11. et L. 3. §. 6. contra Pighium, et in Antidoto Sess. 6. Conc. Trident. et Kemnitiûs ad eandem Sess. 6. alique hæretici docent, voluntatem nostram in bonis operibus sic agi a Deo, ut non possit non agere, et quamvis ipsa producat actum, concurrere tamen tantum ut merum instrumentum Dei naturale, non vero ut causam liberam et dominam sui actus.

Inst. Concilium Trident. nomine dispositionis, Sess. 6. cap. 6. et alibi, intelligit tantum caritatem inchoatam et imperfectam, quæ in sacramento ad accipiendam gratiam disponit.

R. N. Assertum. Sess. 14. c. 4. dum ait, modum hunc contritionis quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum necessarium fuisse, procul dubio de contritione perfecta loquitur, ac statim subjungit, contritionem istam præparare ad remissionem peccatorum: igitur peccatorum remissio non est effectus formalis contritionis; actus enim non impetrat effectum suum formalem, sed per sese confert illum.

57. *Obj. II.* Peccatum includit actum vel moralem habitudinem ad illum; ergo formalis causa expellens illud, debet actum oppositum, id est, actum poenitentiae includere.

R. N. Cons. In peccato habituali, ut diximus, est macula, offensa, injuria, reatus. Macula prout est privatio gratiæ, non nisi per formam istam realem tolli potest. Quia autem actus poenitentiae non est tam efficax ad reparandam injuriam satisfaciendo, sicut fuit peccatum ad offendendum Deum, propter dignitatem personæ offensæ; ideo necesse est, ut Deus offensam et injuriam gratis remittat; ergo nihil in peccato habituali restat, quod per actum poenitentiae formaliter possit expelli.

Inst. 1. Dictum est supra num. 14. a malitia actus peccati duplicem in anima relinqui maculam, quarum prior sit privatio nitoris naturalis animæ, adhuc aversæ a Deo ob peccatum nondum retractatum. Atqui macula ista formaliter tollitur per contritionis actum; sicut enim albedo et nigredo sunt formæ repugnantes, ita aversio et conversio; per contritionem autem convertimur ad Deum; ergo non manemus ab eo aversi. Neque dici

potest, a contritione maculam hanc expelli dispositive: eadem enim forma non potest respectu sui esse dispositio; ergo contritio saltem partialiter in genere causæ formalis concurrat ad remissionem peccati et ad justificationem.

R. D. probat. Assumpt. Conversio ad Deum per contritionem est forma aversioni repugnans prout hæc est actus et spectatur in ratione liberi *C.* repugnans aversioni prout hæc est proprie peccatum habituale, et residua in peccatore macula, injuria, et offensa Dei *N.* et eodem modo distincta consecutione prima, alteram absolute nego. Remissio peccati non potest esse actus peccatoris offendentis. In macula enim peccati duo spectantur, alterum physicum, quod privatio gratiæ est; alterum morale, seu respectus ad peccatum præteritum, quod moraliter permanet, donec remittatur: cujus remissionis tantum impetratio, exoratio, et quaecumque meritum est poenitentiae actus.

Inst. 2. Per amorem homo formaliter adæquatur primæ regulæ; ergo per illum est formaliter justus et sanctus.

R. D. Ant. Adæquatur formaliter primæ regulæ adæquatione actuali et quoad actum præsentem *C.* adæquatione habituali, et quoad effectus ab actu præterito relictos *N.* Licet caritas formaliter tollat aversionem actualem, non tamen tollit aversionem habitualement, qua homo ob actum peccati præteriti caret habitu gratiæ et caritatis, Deoque invisus est. Nec enim amor quo homo in Deum fertur, est amor, quo Deus hominem vicissim complectitur, sed tantum ad hunc dispositio est et impetratio.

58. *Obj. cont.* 2^{am}. *concl.* Si contritio efficit, et meretur justificationem; ergo non justificamur gratis, contra quod S. Paulus Rom. 3. v. 24. docet.

R. D. seq. Si contritio ex merito condigno efficit justificationem, non justificamur gratis *T.* si contritio efficit justificationem ex merito congruo, non justificamur gratis *N.* In peccato est macula, injuria, offensa. Macula est aversio a Deo, et privatio gratiæ: converti autem ad Deum non possumus sine præveniente et adjuvante Dei gratia. At licet cum gratiæ auxilio ad Deum convertamur, hæc tamen conversio pro injuria non satisfacit; igitur nec offensam tollit, nec infusionem gratiæ meretur. Sicut ergo maculæ prioris abstersio a Dei gratia pendet: ita et injuriæ remissio et condonatio offensæ; neque enim effectus isti actui contritionis ex justitia debentur; eo quod hæc justificationem præcedat, quam meritum condignum et simpliciter tale demum subsequitur, ut scribit B. Augustinus in Psalm. 110. L. de fide et operib. c. 14. et alias. Hinc Tridentinum Sess. 6. cap. 8. tradit hominem justificari gratis: meritum enim ex justitia opponitur gratiæ, non autem meritum de congruo, quod non in justitia, sed in liberalitate fundatur.

ARTICULUS V.

QUOMODO PECCATA VENIALIA PER POENITENTIAM TOLLANTUR?

59. *Dico I.* Perfecta contritio sola ex opere operantis tollit omnia peccata venialia, ad quæ ex motivo suo saltem virtualiter extenditur.

Prob. 1^a. *pars*, quæ est communis omnium. Si contritio perfecta tollit